abus civium Lubecens. suas ob causas exclusis reformavit: Annis amplius triginta patriam cum laude gubernavit: Eximiam quandam reverentiam, erga litteratos exercuit, præter reliquas virtutes Sapiente Principe dignas. Ex hac vita migravit: Anno Domini 1503.

Uxor SOPHIA filia ERICI. II. Ducis Pomeran. diem obiit An. 1504. Sepulta Wismariæ apud Augustinianos.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

NUnc Adavos inter sese bis tertius offert,
Qui verè magni nomen & omen habet,
Vandaliæ Princeps MAGNUS virtute fideq́,
Ille domi MAGNUS MAGNUS & ille foris.
Lustravit juvenis Solymam, Judææq́ regna,
Et sub qua clausus rupe Redemptor erat.
Inde redux Divo fundavit templa JACOBO,
Sunt ubi Rostochiæ mœnia juncta mari.
SARENTINA sacris & RHENA beata puellis
Stat domus in laudes officiosa Dei.
Legibus has informavit melioribus ambas,
Ut non impietas posßit habere locum.
Musarum studiis & honestis artibus omnes
Excultos magno fovit amore viros.
Ut patriæ totis triginta præfuit annis.
Fata pium terris eripuere Ducem.

SOPHIA FIL. ERICI 2. DUCIS POMER.

6. Adavia paterna.

DUxerat hic ortam Pomerana stirpe SOPHIAM,
Principe qua MAGNO fœmina digna fuit,
Moribus æquavit formaq́ decore Rachelam,
Æquavit grata fertilitate Leam.